Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

# QUÆSTIO MEDICA

## Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſima-ſeptima Februarii.

M. CLAUDIO PERRAULT, Doctore Medico, Præſide.

*Eſt ne lac ſanguis dealbatus?*

LAC nutritioni recens nati infantis natura ſic adornat, ut quod in quovis alimento præcipuum eſt, non difficilem præbeat ventriculo coquenti operam. Nec tamen quò melius id præſtet, ideo vires omnes adhibet quibus ad humores coquendos inſtructa eſt: ſed ut cujuſque aut naſcentis aut nondum nati corpuſculi varia fert indoles, ita majorem aut minorem curam impendit in præparatione ejus alimenti, quod cuique conveniens eſt. Nam credibile eſt illam quæ in ipſis vitæ primordiis ſanguinem perfecte elaboratum fœtui puſillo ſubminiſtrat per proprios canales umbilico inſertos, eam ipſam ſubinde liquorem non ita accuratum intra amnii tunicam effundere, jam grandiuſculi ore attrahendum: tandem non abſimilis genii ſucco ſed minus adhuc defæcato mammas implere in editi & tunc vegetioris infantis alimoniam. Nempe ſapiens illa omnium parens & educatrix cujuſque vires cùm in fœtu, tùm in infante perpendens, præcipua & ardua opera rudibus ne committat, ea penè confecta tradere ſtudet, utcumque tamen perficienda relinquit; ut longa tandem conſuetudine partes tentata ſæpius ea munera, quæ ipſæ per ſeſe nullo duce poſt partum edituræ ſunt, edoceantur. ventriculum enim nullo tyrocinio informatum, & laborum ſuorum inſcium verita ad opus vocare extemporaneum, ejus infantiam imprimis erudire ſatagit, inchoata in amnii ſucco, deinde in lacte ſua penſa diſtribuendo, quæ chyloſeos integræ, propria induſtria, demum à lacte depulſo ſuſcipiendæ, velut typum & exemplar exhibere, atque adeo partis illius inter principes non ultimæ, vim inſitam promovere valeant.

NIHIL ferè differt inter lac & chylum quam quod ſanguinem junioris fœtus inter & maternum; ſubſtantia, temperies, color, ſapor, uſus his ut illis penè ſimilis: aliqua tantum præparatione ac levi coctione diſcrepant. Maternus ſanguis fœtui deſtinatus ſparſas per placentæ carneam molem ſubit radices vaſorum umbilici, quæ meſenterii vicem in fœtu novello peragunt, ut præparata ibi materia ſanguini perficiendo ſubminiſtretur. Eodem modo nutricis chylus lacti conficiendo dicatus meſenterium, jecur, pulmones, cor & mammarum vaſa pervadens, glandularum quæ appoſitæ ſunt vi perficitur, & ſuccus evadit infanti amicus, facili negotio in ſanguinem mutandus. Sed quemadmodum fœtus junior matris ſanguine vel optime elaborato non alitur, quin prius partium ſanguinis opificum veluti domeſticis focis admotum ipſe proprium effecerit. Ita lacti omnibus chyli dotibus inſtructo coctionis tamen in lactentis ventriculo complementum quoddam accedat neceſſe eſt, ut peculiari chyli puerilis nota inſignitum propriis ſanguinificationis organis acceptum eſſe poſſit.

NON quivis in vaſis contentus humor ſanguis eſt, pervias iſtas publicas non utilia tantum invehuntur alimenta, cœnum quoque & ſordes exportantur. Ipſæ etiam partes alibiles non unius generis ſunt. Quibuſdam coctis jam & rubro ſanguinis caractere notatis, aliæ crudæ & adhuc ex chyloſi albeſcentes promiſcuæ permiſcentur. Hæ nempe pulmonum folles & infectorios lebetes nondum expertæ, nondum in ſanguinis officinis vero nutritii humoris ſigillo obſignatæ, interim dum id conſequantur, partium corporis quarumdam imperfectarum ſpuria nutritione plerumque abſumuntur, & in pinguedinem, pilos, ungues, cuticulam; brutis in cornua, caudam, atque jubas abeunt; ac ſi quibus mulieribus non lactantibus redundaverint, cephalalgiæ, catharri, ſputationis, aliorumque affectuum cauſæ evadunt inedia potiſſimum reſcindendæ. Fœmineum ſiquidem genus edax, jecoris & cordis calore imbecillo ventriculi coctione magis viget, ac vaſa humore plurimo diſtendit, ſanguine pauco; parciore vero dum utero gerit; quo tempore calor & ſpiritus circa uterum novis occupati miniſteriis conſuetum ſanguinis opificium ſegnius perficiunt: tunc etiam mammæ convenientis materiæ opportunitate ſui muneris admonentur, lac tamen non multum generant, & ſtatim à partu pravum, ac tandem nullum; pro varia aut ad uterum, aut ad mammas, aut ad cor caloris & ſpirituum converſione; nutririoni quippe potiſſimum nunc fœtus, nunc infantis, nunc matris per alternas vices incumbentium.

CHYLUS ſanguinis & lactis communis materia eſt, ſed non tanta chyli ad procreandum ſanguinem facilitas quanta proclivitas eſt ad lactis confectionem. Sanguis ex chylò plurimo longa & operoſa coctione incraſſato non copioſus educitur, obliteratis pene omnibus quæ in cibis fuerant viribus: lac vero iis parum mutatis plurimum & ſtatim fit ab imbecillo calore ex chylo dilutiore, de cibis qui in pauciſſimum & tarde ſanguinem mutentur ut oleribus, præſertim lactuca, fabis, aquæ etiam potu liberaliore, tum ab otio atque edacitate. At contra quæcumque ſanguinis citum moliuntur opus mammas lacte non diſtendunt: mulieres quippe ſolida ac dura carne præditas, juſculis carnium, vino & exercitatione utentes, & quæ non ſunt voraces, puri ſanguinis cumulare magis, lactis minus ſuppeditare videas; quod licet optimum ſit, copioſo tamen & liveſcenti, non ſemper anteponendum.

SAPIENTIOR eſt natura quam ut aliquid fruſtrà ex ſententia moliatur: nec verò neceſſariis opibus adeo ſuperfluit ut earum citra noxam ferre poſſit temerariam profuſionem. Scilicet operoſam in ſanguine conficiendo operam, calorem nativum ludere, & debitos ſubſtantiæ nobiliori conatus in deteriorem & minori molimine parabilem impendere nec decet, nec fieri poteſt ut ſanguinis tanta copia lactantes ſingulis diebus minuantur, nullâ, ut contingit, virium jacturâ. At ductus deſideras quibus chylus ad mammas deferatur: credo ſi canales per quos bilis inſanientibus rapiatur in cerebrum, aut ſerum perveniat ad renes cum Democrito, Aſclepiade & Heraclito adhuc inveſtigas; ſi materiam nutriendis oculorum humoribus & ſiccioribus oſſium partibus variè deſtinatam per ejuſdem generis tubulos fluere poſſe nondum intelligis, & ſola ſecretione ex diverſis ſed promiſcuis humoribus ſingulos in ſingulas partes derivari; ſi non advertis quibus uſibus tot & tam variæ per univerſum corpus ſparſæ glandulæ inſerviant; ſi neſcis ſpongiarum more laudabiles ſuccos quaſdam ſorbere & effundere, alias fœdam tergere illuviem, & quemadmodum in glandulis ventriculi, inteſtinorum, meſenterii, pancreatis, cutis, noxii humores per arterias errantes intercipiuntur, ſudore, ſeceſſu aut vomitu, ut in naturali & quotidiana, ſic & in artificioſa expurgatione eliminandi. Ita & in amnio, in mammis, in pericardio, in ore, & in aliis partibus quaſdam reperiri, quarum nonnullæ vix cadunt ſub aſpectum, & tamen per eas utiles & eximii liquores ſtillent. Omnino niſi ſanguinem in ſerum, in ſudorem aut in eos qui per catharſim educuntur humores mutari contendis: non eſt cur velis ſubſtantiam illam naturæ delicias atque decus generoſos ſpiritus deponere & ſuâ purpurâ contumelioſius exui in lactis generatione.

*Ergo lac non eſt ſanguis dealbatus.*



Proponebat Pariſiis CLAUDIUS JOANNES-BAPTISTA DODART, Pariſinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1687.